NORISII RESPONSIO, AD SCRUPULOS DOCTORIS SORBONICI ET…

Enrico Noris

25

NORISII RESPONSIO, AD SCRUPULOS DOCTORIS SORBONICI, ET Reſponſionis Examen.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1072

HEri venit ex Urbe nuncius, Romanum S. Inquiſitionis Tribunal *Scrupulos* Doctoris Sorbonici, ſuper libro Henrici Noriſii communicaſſe cum iſto R. Patre, ut ad primam hanc objectionum partem (quippe duæ graviores ſuperſunt) reſponderet; confeſtimque illum obtuliſſe chartam hæc verba continentam.

RESPONSIO

R.P. Henrici Noriſii, data die 11. Decembris 1694. ad libellum cui titulus eſt: Scrupuli Doctoris Sorbonici ſuper Hiſtoriâ Pelagianâ, &c.

„LEgat Anonymus Gabrielem Vaſquez
„tom. 1. in tertiam partem D. Thomæ

A

735
3

„ diſput. 25. cap. 2. Dionyſium Petavium de „ Incarnatione Dom. cap. 12. fol. 403. Natalem Alexandrum tom. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, à fol. 536. ad fol. 684. Et ſcrupulos, „ ac ſupinam, quâ laborat, harum rerum „ ignorantiam deponat.

Examen Reſponſionis.

AB his poſtremis Noriſii verbis ut incipiam, an non ignoſcendum foret Doctori Sorbonico, ſi ſic laceſſitus, par pari referret: præſertim cum nullo aſperiore verbo Noriſium, aut quemquam alium provocaſſet. Abſit tamen ut queramur. Neque enim plus nobis reverentiæ deberi credimus, quàm tot celeberrimis Scriptoribus, quàm Ordinibus integris, quàm ſanctis ipſis Doctoribus, quos in ſuo libro Noriſius valdè inclementer habuit, nè quid dicam gravius. Cenſorum erit, pro impoſitâ ſibi lege, ſtatuere quid eâ parte ab ipſis fieri publici exempli ratio poſtulet. Nos quantumvis *Supinæ ignorantiæ* accuſati ſatis habebimus hoc ejus convicium rebus ipſis refellere, noſtróque illum exemplo docere, quâ moderatione ac modeſtiâ uti debeant qui de rebus Eccleſiaſticis ſcribunt. Nunc ad rem progrediamur.

Quàm paucis verbis abſolvitur iſta reſponſio, tam facilè eſſet hæc pauca reponere: *Ita ſelpſum defendit Noriſius, ut Romana Sedis*

cauſam deſerere videntur. Sed quod ille faciendum ſibi non judicavit, nos omninò præſtabimus, dictique noſtri veritatem oſtendemus.

Ait nihil ſe docuiſſe niſi quod Vaſquez, Petavius, Natalis Alexander. Demus hoc ita eſſe; ruit perinde Pontificia auctoritas: quinetiam novum additur robur ipſius adverſariis; ſi modò legitimè ratiocinatus eſt Sorbonicus Doctor.

En ejus Ratiocinium: Noriſio judice, inquir, & Catholici ſunt, & Eutychianæ hæreſis expugnatores, & Auguſtinianæ doctrinæ defenſores egregii, qui primùm à ſuis Epiſcopis, deinde ab Eccleſia Conſtantinopolitana, ſimul ab Apoſtolicis Legatis, ac demùm à ſummo Pontifice, causâ diu, & accuratè perpensâ, fuerunt habiti pro Hæreticis, aut hæreſis fautoribus; quique ipſum viciſſim Romanum Pontificem appellant *hæreticum, Neſtorianæ pravitatis fautorem, tetri erroris nigredine adopertum, veritati impiè reſiſtentem, Pelagianæ perfidiæ involutum erroribus, & ſuperbiſſimæ hæreſeos ſpiritu animatum.*

Ergo Noriſio judice (adde, ſi lubet, Vaſquesio, Petavio, Alexandro judicibus) vera eſt, ac piæ, orthodoxæque doctrinæ conſona triplex hæc Propoſitio.

Prima Propoſitio.

„HOmines quos Epiſcopi ſui, deinde „Primas, poſtea Legati ſanctæ Sedis, „ipſa demùm ſancta Sedes, uno verbo Ro „mana ſimul & Græca Eccleſia, auditis eo„rum ſermonibus, lectiſque ſcriptis, causâ „omni dudùm & accuratè perpenſâ, unanimi „ſenſu judicaverit hæreticos, aut hæreſis „fautores; tales homines aſſeri nihilomi„nus poſſunt non tantum Catholici, ſed & „defenſores Catholicæ fidei, idque in eo ipſo „puncto, in quo eos erraſſe ſancta Sedes, & „Eccleſia judicaverit.

Secunda Propoſitio.

„VEri nominis Catholicus, & optimo „jure orthodoxus reputari poteſt ille, „qui apertè contradicat Epiſcoporum ſuo„rum, Patriarchæ, ſummique Pontificis ju„dicio in materia Dogmatis. Erit ille Nori„ſio (adde, ſi lubet, Vaſqueſio, Petavio, „Alexandro) importunus, imprudens, &c. At „nihilominus Catholicus, imò defenſor „Eccleſiæ.

Tertia Propoſitio.

„TAlis poteſt eſſe ille quoque, qui ſummo „Pontifici hæreſim penè in faciem ex-

„ probrat, ſcribitque eum fuiſſe prævarica-
„ tum in materia Dogmatis, faviſſe errori,
„ doctrinam hæreticam diſſeminaſſe, hæreti-
„ cum eſſe tam ſuper Incarnatione, quàm ſu-
„ per Gratiâ.

Hujus ratiocinii duæ ſunt partes; antecedens, ſeu Notiſii placita de Monachis Scythiæ; & conſequens, ſeu tres Propoſitiones modò allatæ; ex quibus brevitatis, & claritatis causâ ſoli tertiæ hîc adhærebimus, ut quæ priores duas æquivalenter contineat.

De conſequenti an verè & legitimè deductum ſit, altùm ſilet Notiſius. De ſolo antecedente reſpondet doctrinam hanc eſſe Vaſqueſii Petavii, Alexandri, indignatúrque hoc à Sorbonico neſciri. *Legat*, inquit, *Gabrielem Vaſquez, Dionyſium Petavium, Natalem Alexandrum, & ſcrupulos, ac Supinam quâ laborat, harum rerum ignorantiam deponat.*

Sed videat ipſe Nuriſius quid loquatur. Quantò enim plures erunt talis doctrinæ aſſertores, tantò prævalebit opinio de fallibilitate Rumani Pontificis in materia fidei.

Adeò igitur non metuunt infallibilitatis Pontificiæ adverſarii, ut potiùs ſummè exoptant verum reperiri quod ait Nuriſius de Petavio, Vaſqueſióque; ut nunc de Alexandro ſileam; utrorum autem cumulum attigerint, cùm audient, tali purgatione admiſsâ, cauſam à Romano tribunali adjudicari Nori-

ſio. Ecce enim, inquient, Roma ipſa declarat ſanam, ac non ſolius Noriſii, ſed & præſtantiſſimorum Theologorum communem doctrinam eſſe, quòd & Catholici, & ſtrenui hæreſis expugnatores, & veri Auguſtini diſcipuli haberi poſſint, qui apertè contradicunt Epiſcoporum ac ſummi Pontificis iudicio, eúmque appellant *hæreticum*, *Neſtorianæ pravitatis fautorem*, *Pelagiana perfidia involutum erroribus, & ſuperbiſſima hæreſeos ſpiritu animatum*. Ita ſancit ac declarat Roma, cauſâ priùs contradictoriè actâ, & diu multúmque diſcuſsâ, Noriſio non tantùm fatente ſuam eſſe doctrinam, quæ ipſi in ſcrupulis attributa eſt, ſed indignante adverſus Doctorem Sorbonicum, qui neſcia. Petavios, Vaſqueſios, Alexandros eadem prædicaſſe, audiente Urbe ac probante.

At negabit Noriſius in ſua horúmque Theologorum doctrina contineri tres à me allatas Propoſitiones. Debuerat hoc facere unicum ſuæ defenſionis caput: in id oportebat eum totum incumbere, ut luce meridiana clariùs demonſtraret, nihil planè ex ſua doctrina inferri poſſe contra authoritatem ſanctæ Sedis.

Unum objeceram, alterum inferebam; ſi tamen illatio hæc eſt, & non potiùs identica cum antecedente concluſio.

Objeceram Scythas à ſuis primùm Epiſcopis, deinde à Conſtantinopolitana Eccleſia,

ſimul ab Apoſtolicis Legatis, ab ipſa demùm Romana Sede damnatos velut hæreticos, aut hæreſis fautores; & viciſſim damnantes ipſum ſummum Pontificem hæreſis Pelagianæ ſimul & Neſtorianæ; hos, inquam, appellari nihilominus à Noriſio ſtrenuos vindices fidei, quibus multùm debeatur ob egregiè Auguſtiniano nomini navatam operam.

In ea doctrina contineri dicebam tres illas Propoſitiones, quas initio poſui, velut in antecedente concluſionem legitimam, atque ipſis oculis manifeſtam.

Antecedentis partes ſingulas probavi, tum ipſis Noriſii verbis, tum inſtrumentis authenticis ab eo adductis.

Conſequentia non ſolùm evidens, ſed penè ſynonyma eſt cum antecedente. Expectabam quid tandem reponeret Vaticanus Probibliothecarius.

Primò, negarétne Scythas damnatos fuiſſe primùm à ſuis Epiſcopis, deinde à Conſtantinopolitana Eccleſia, ſimul ab Apoſtolicis Legatis, ab ipſa demùm ſancta Sede? At ipſe confeſſus eſt, & habemus eâ de re publica documenta.

Secundò, negaret damnatos fuiſſe velut hæreticos? At ipſimet Scythæ hoc fatentur. Hinc Maxentius eorum *Anteſignanus*, in apologia pro ſe ſuiſque gregalibus: *Licèt eos*, inquit, *publica veritatis conſcientia non audeat* (Romanus Pontifex) *hæreticos accuſare*; obli-

quæ tamen & callidè hoc vult de eis intelligi.

Tertiò, negaret Scythas viciſſim damnare hæreſis Pelagianæ ſimul & Neſtorianæ illum quem ſummum Pontificem eſſe ſcirent? At eorum verba retulimus. Extat quoque Noriſii teſtimonium dicentis non ignoraſſe Scythas eum, cujus epiſtolam velut hæreticam refellebant, ipſum eſſe ſummum Pontificem; quò tamen liberiùs in epiſtolæ authorem debaccharentur, malitioſè negaſſe hanc fuiſſe ab Hormiſda ſcriptam. Etſi omninò vellent eum ab omnibus authorem agnoſci, ut ex eorum verbis patet.

Ecce igitur homines judicio Romani Pontificis hæreticos, aut hæreſis fautores, & quibus ſummus Pontifex hæreticus eſt: tales viros Noriſii liber appellat ſtrenuos hæreſis Eutychianæ expugnatores qui ſummo conatu pro veritate certaverunt; quibus præterea multùm debeatur, *ob egregiè Auguſtiniano nomini navatam operam* Non negat Noriſius ita ſe de iis locutum; ac ſi neget, oculi erunt judices.

Hinc inferebam tres propoſitiones ſuprà deſcriptas, & in illo antecedenti evidentiſſimè contentas. Quid ad hæc Noriſius? negátne conſequentiam? nihil minus. Ut de antecedente ſiluit, ita de conſequentia ſilet. Tantùm, ego inquit, nihil docui niſi quod Vaſquez, quod Petavius, quod Natalis Alexander, Hos

legat Sorbonicus, *& Supinam quâ laboravi harum rerum ignorantiam deponat.*

Ità Purpuratis S.R.E. Patribus qui reſpondet, non video quam de illorum perſpicacia opinionem habeat, nec ſatis capio quid in mentem Noriſio venerit, ut ſe hac in re defenderet authoritate Natalis Alexandri ſcriptoris nominatim à Romano Pontifice damnati; & contra ejus infallibilitatem acriter pugnantis.

Quod ſpectat Vaſqueſium ac Petavium, ad quos etiam Noriſius provocat; nemo non agnoſcit hoc ejus effugium à me præviſum, ac reipsâ præcluſum fuiſſe ſcrupulorum §.7. cujus hic eſt titulus, *Noriſio effugium præcluditur.* Illic enim allato Noriſium inter alióſque ſcriptores diſcrimine, illud addidi magnâ obſervatione dignum.

Hoc ſi Cochlæus, aut quiſquam alius faceret (quod Noriſio objectum fuit) *eſſet quidem illis culpa cum Noriſio communis, longè tamen gravioris momenti in hujus, quàm in iſtorum libris. Scilicet non privatus aliquis ex tranſalpinis regionibus, cujus teſtimonium facilè murari poſſet; verùm in ipſa Urbe ſcriptor ſanctæ Sedis obſequio peculiari jure mancipatus, Romanæ Eccleſiæ Probibliothecarius, & ſacrâ purpurâ, ut fama eſt, doctrinæ titulo propediem induendus: Talis, inquam, ſcriptor ea docet, quæ ſi vera ſunt, fateri neceſſe eſt ſtrenuerum fidei vindicum*

jam à primis temporibus, ſententiam fuiſſe, quòd Romanus Pontifex Eccleſiam docens errare poſſit in fide, imò contra fidem pro duabus ſimul hæreſibus vexillum contra orthodoxos erigere.

Ergo ut rem in pauca contraham, hîc duæ poſſunt fieri quæſtiones, quarum altera Noriſii librum, altera ejus perſonam; hæc cauſam ipſius propriam, illa Romani cauſam Pontificis ſpectat. Prima, utrum id quòd modò dictum eſt, neceſſariò evidentérque ſequatur ex Noriſii doctrina? altera utrum idcircò vel auctor, vel liber aliquâ notâ dignus ſit? Quid agit Noriſius? De primo ſolùm interpellatus, ad ſecundum reſpondet cauſam aſſerens communem ſibi eſſe cum Vaſquecio, Petavio, Alexandro.

Atqui non id agebam, ut aliqua nota vel auctori, vel ipſi libro inureretur. Imò ne hoc quidem meâ nunc intereſſe puto, utrum vera, an falſa ſint quæ ſcripſit de Scythis Monachis; multò minus an eadem alii ante, vel poſt illum ſcripſerint. Hoc unum volui, approbato ejus libro, uti a Cenſoribus Pontificiis, & Cardinalibus approbatum accepimus, approbari Cleri Gallicani doctrinam de fallibilitate Romani Pontificis, imò aliquid amplius.

Hanc meam propoſitionem refellat Noriſius, & manus dabo. At quandiu non refellerit, quid meâ refert utrum alios in eamdem

cauſam ſecum trahat? Defendent Vaſqueſium, Petavium, Alexandrum, ſi volent, alii quorum intereſt, eóſque à Noriſio diſcriminate ſatagent. Ut ut eſt, potiori jure ſcriptores iſtos exemplum Noriſii, quàm Noriſium iſtorum exemplum apud Romanam Curiam excuſaret. Cùm non tenerentur ſtudioſiores eſſe, quàm ille authoritatis Pontificiæ. Ac ſi de duobus primis agitur, minus profectò mirum eſt aliquid, quod huic noceat, iis excidiſſe, quo tempore non impugnabatur; quàm Noriſio, ejúſque hodie approbatoribus Romanis.

Verùm eſto, par omninò eſſet Noriſii & illorum ſcriptorum conditio, quid inde conſequens foret? Non deſtrui Pontificum infallibilitatem Noriſianâ doctrinâ, ejúſque approbatione? Minimè hoc ad ſummum ſequeretur, nullâ poſſe notâ affici vel auctorem, vel librum, quæ non illos quoque Doctores aut eorum ſcripta afficeret. Sed nihil hoc ad me, qui nunquam poſtulavi aliquam eo nomine cenſuram alterutri infligi.

Sed aliud eſt ſcilicet non configi, aliud poſitivè, atque authenticè approbari. Ignoſcant ſanè Noriſio, ejúſque hiſtoriæ in hac parte; non repugno, imò libens aſſentior. Mihi ſatis eſt quod Noriſii liber hoc modo Romæ approbatus novum adverſus Papæ infallibilitatem argumentum deinceps futurus ſit.

FINIS.

99 951703

